

*Dissertatio Academica
De
Modo
Philosophiam Tractandi Moralem,*

*Cujus
Particulam Primam,
Conf. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,
Publice examinandam sicutunt*

*Mag. JOHANNES SUNDWALL,
Phil. Moral. Doc. v. Not. Conf. Eccl. nec non Aman.
Confist. Acad.*

Et

GUDMUNDUS NYSTRÖM,

Stip. Reg. Smolandus.

In Auditorio Minori die XXX. Maji An. MDCCXCV,

Horis ante meridiem consuetis.

TYPIS FRENCKELLIANIS.



S. L.

Cum scientias progressus fecisse dicunt Philosophi, easdem aut novis veritatibus auctas esse, aut veritates antea cognitas uberioris explicatas atque demonstratas, aut denique veritates tum antea cognitas tum novas apud gentes antea incultas locum obtinuisse, intelligunt. Sed adhuc alia est ratio, qua progressus scientiarum metiri possumus, illa videlicet, quod eae scientiarum partes, quae omnem quasi populum spectant, ad plebem usque divulgatae sunt, & quarum partium divulgatio ingenii culturam generalem (allmän uplystning) efficit. Quod hi posterioris generis progressus sine priorum istorum generum expectari non possunt, per se clarum est. Quod autem vera felicitas hominum in genere, quae scientiarum finis est & esse debet, non obtinetur, quamdiu scientiae inter paucos earum cultores clausae quasi sunt, vel non perpenderunt, vel faltem divulgationem earum neglexerunt. Nostro denique aëvo, rerum fere inauditarum vel non exspectandarum copia maxime notabili, etiam hac de re disputatione Philosophi, investi-

stigantes, utrum ejusmodi divulgatio utilis esset, an no-
 xia, & si utilis esset, qua ratione eadem optime fie-
 ret. Quorum saniores medium tenentes viam, juste
 determinarunt, quo usque & quibus in scientiis vulgus
 institueretur, vere admodum hujus rei utilitatem osten-
 dentes, & incommoda, quæ metuerunt aliqui, nulla
 esse. — Persuasi, ingenii culturam generalem sine ul-
 la exceptione omnibus prodesse, illam autem, si ad
 omnes scientias extenderetur non exspectari, quantum
 tamen ad finem obtainendum requiritur illam effici pos-
 se, meditati sumus, qua ratione ea Philosophiæ pars,
 quæ mores spectat, & quam, ut jura & officia sua
 discant, maxime divulgandam esse neminem negare
 putamus, ita tradatur & explicetur, ut ea ex parte
 nihil desideretur, quin usus hujus Disciplinæ ad omnes
 pervenire queat. Cumque facile comperimus, hanc
 rem, præterquam quod delectus veritatum proponen-
 darum fieri debeat, ex habitu, quo induitur Disci-
 plina, multum dependere, quo intelligimus ipsum mo-
 dum atque ordinem veritates proponendi atque de-
 monstrandi, nec non ipsos terminos, quibus ad ideas
 exprimendas utuntur; operæ pretium esse putamus,
 si effici possit, ut in primis hæc disciplina ita tractetur,
 ut non tantum a philosopho, verum etiam ab aliis, &
 legi & intelligi queat. Cujus utilitatem & necessita-
 tem etsi facile intelligimus, nos tamen magis optamus
 quam efficere posse putamus, nos hac in re multum
 præstituros esse. Cum vero officii nostri ratio postu-
 let,

let, ut ea quæ explicarunt viri eruditi, etiam a nobis, quantum fieri potest, familiaria reddantur aliis; hujus officii memores non potuimus, quin pro viribus nostris, tempore a negotiis aliis admodum multis, iisque publicis, nobis relicto, etiam Disputatione Academica, cuius præterea necessitas ob rationes aliquas nobis incumbit, aliquid conferamus ad veras ideas formandas de rebus ad doctrinam morum pertinentibus, illasque idoneis terminis exprimendas justoque ordine pertractandas: nobis gratulaturi, si attentionem vestram, Lectores Benevoli, quæ allaturi sumus, merentur, quo efficietur, ut, si Deus vitam & vires permiserit, aliquando opus ad finem a nobis intentum propius conducens aggrediamur.

§. II.

Ut vero propositam attingamus metam, ad modum Philosophorum, quem etiam necessitas sequi jubet, paucis disquiramus, quænam sint veritatum genera, quæ in Disciplina Morali tradenda atque explicanda sunt. Res autem, circa quas hæc Disciplina versabitur, (Ontologici *objēctum* vocant), dicunt esse actiones *humanas*, distinctionem facientes inter actiones *hominis* & quas nominavimus *humanas*. *Illis*, quas etiam *naturales* & *necessarias* dicunt, intelligunt, quæ non dependent a voluntate nostra, ut sunt motus sanguinis, concoctio cibi in ventriculo, &c. quasque homo cum brutis communes habet, & quæ ex eo-

*) 5 *

eorum mente *objectum* Morum Philosophiæ non constituunt. *His* vero, quas etiam *liberas* nominant, intelligunt, quæ a nostra pendent voluntate, quæque hominibus quasi propriæ sunt, & quas itaque *objectum laudatæ Scientiæ* constituere contendunt.—Quod vero ad hanc divisionem attinet, illam non necessariam, nec omnino accuratam esse putamus.—*Primo* enim per se clarum est, nos rationem reddere non posse actionum, quæ in nostra potestate non sunt, quæque adeo potius *passiones* quam *actiones* dicendæ sunt: de qua igitur re disputare opus non est. Et *secundo*, omnes fere *actiones*, etiam istæ, quæ *naturales* dicuntur, ejus sunt indolis, ut aliquo modo a nostra pendeant voluntate, & contra, multæ *actiones*, quæ *humanae* dicuntur, tales sunt, ut interdum imperio voluntatis nostræ subiectæ non sint. Motus enim sanguinis vel promoveri vel retardari potest, concoctio cibi in ventriculo vel negligentia impediri vel adhibita cura promoveri &c. quas *actiones*, quatenus ex voluntate nostra oriuntur, *objectum* constituere *Juris Naturæ* nemo sanus negare potest. Sic etiam non raro accidit, ut bona sua destruere, famem pati, homines contra voluntatem suam cogantur, immo interdum eos in ejusmodi incidere casus, quibus contra voluntatem suam ipsam vitam amittere coacti sunt, nemini ignotum est. Quis vero dixerit has *actiones*, et si in se humanas, *objectum* esse *Juris Naturæ*? — Distinctionem itaque ab ipsa *actionum*

effentia, in quæstione: qua ratione objectum constituant Philosophiæ Moralis, petendam non esse, omnes vero actiones hominis in universum hoc objectum constituere, quatenus eadem ab ejus pendent voluntate, clarissime patere existimo.

Hoc jam concessso, altera est quæstio: An omnes actiones, ex nostra dependentes voluntate, in Philosophia Morali explicari debeant? Qua quæstione examinata omnis conspectus apparebit Disciplinæ nostræ. — Inter omnes res in tota natura tam arctus est nexus, ut cum eas in certas dispecere classes animus est, interdum difficillimum sit hoc peragere negotium. Hoc concedere necesse habent v. c. rerum naturalium Historici, non parum solliciti ad quodnam regnum naturæ, ad quas classes &c. certa referent naturæ producta, ne quid dicam de relatione, quam omnia creata ad sustentationem conducentem ipsius naturæ ad se invicem habent. Talis nexus & relatio inter omnes disciplinas (quatenus de rebus agunt) apparet, tum quod eundem agnoscant fontem, tum quod eadem ratione homines cognitionem earundem comparare necesse habeant, tum etiam quod eundem spectent finem ultimum, totius puta generis humani felicitatem, universim, & cujusque ejus membra sigillatim. Atque uti hanc ob causam admodum difficile est disciplinarum limites determinare, ita hæc difficultas speciatim locum habet, cum quæstio est de limitibus ea-

*) 7 (*

earum Scientiarum, quæ majorem quasi vim in hominum felicitatem habent, illarum videlicet, quæ de actionibus hominis moralibus agunt, ut sunt Philosophia Moralis, Politica &c. Sunt quidem in omni Disciplina, quæ quasi characterem Disciplinarum constituunt, quod etiam de Disciplinis nuperrime nominatis valere lubenter concedimus, in quorum tamen limitibus justis determinandis perarduum tibi parabis negotium. Quapropter, ut hanc rem quodammodo expedirent Morum Philosophi, ad suam, quod ad partem disciplinam retulerunt Oeconomicam tum Politicam, tum etiam partem Theologiae naturalis &c. quod contigisse nec mirandum est. Cum enim genus humanum in sua infantia consideramus, ejus necessitates admodum fuisse paucas & desideria ejus pauca, comperimus, & consequenter regulas vitae ab hominibus observandas paucissimas. Crescente vero multitudine, necessitatibus & desideriis auctis, actiones multiplicatas esse, novasque idcirco regulas vitae necessarias fuisse intelligimus, quarum numerus ut major evaderet, necesse fuit, tum cum Societates civiles constituerentur &c. adeo ut si cultiores gentes consideras, illos jamjam multis opus habere disciplinis, quarum objectum actiones sunt hominum, intelligas. Sic necessitate & communitatibus vitae suadentibus, & etiam ex nisu hominum sagaciorum nexus rerum perspiciendi, disciplinas de quibus nobis gratulamur, atque inter illas politicam & oeconomicam &c. ortas esse

esse tibi persuadeas. Cum vero actiones hominum in Statu Civili tam multæ sint, atque diversorum hominum in hoc Statu diversa sit ratio, cum alii jubeant, alii obedient, alii uno, alii altero fungantur negotio, perclarum est, in hac diversa mortalium conditione jamjam diversis vitæ regulis ab illis, quæ in infantia generis humani necessariæ fuere, opus esse. Non itaque amplius Morum Doctori officium suum peracturo sufficit, membris civitatis ea solum tradere præcepta, quæ ab homine in statu naturali observanda sunt, verum etiam regulas, generalissimas saltim, quas in Civitate observare illis necesse est. Ut enim ab una parte cavendum est, ne in Philosophia Moralis omnes tradantur Scientiæ, quæ actiones hominis concernunt, qua ratione Philosophia morum ceteras omnes Disciplinas sub se complecteretur, atque nimis longa redderetur; ita etiam ab altera parte perspiciendum est, ne istæ regulæ vitæ, quæ cuique homini, membro Civitatis existenti, necessario sunt observandæ, omittantur, atque sic doctrina manca & insufficiens præbeatur. Cum autem in diversis Civitatibus Scientiæ tum Oeconomicæ, tum Politicæ diversa sit ratio, Philosophia vero morum ita beat tradi, ut omne genus humanum illius præcepta in usus suos convertere queat; pernecessarium est, ut ex laudatis Scientiis eæ tantum tradantur regulæ generales, quarum fundamentum in Jure Naturæ positum est, ut nec quod ad partem ab arbitrio pen-

pendeant humano, quæque in omnibus Civitatibus saltim cultioribus locum habere queant.

His præmissis, jam ad quæstionem propositam propius enodandam properamus, investigaturi, quænam sint istæ regulæ, quæ pro conditione hominum præsenti in morum Philosophia ex aliis disciplinis tradentur? — Omnes Scientiæ majorem minoremve in felicitatem nostram habent vim. Illæ autem quæ maximam habent, sunt, quæ maxime ad conservationem nostram tendunt. Ex his ergo regulæ istæ generales in usum Philosophiæ Moralis mutuandæ sunt. — Homo constat duabus partibus, animo videlicet & corpore, atque omnia quæ appetit homo, eum in finem appetit, ut felicitatem tum animi tum corporis promoveat. Et ut hic finis obtineatur, homini curæ erit de corpore fano servando, quam curam sui, quoniam maxime cum natura humana consentanea est, homo malis consuetudinibus adhuc non funditus depravatus, modo illam intelligit, ob Philautiam lubenter gerit. Incongruum itaque non est, ut in Philosophia Morali ex Scientia Medica & Oeconomica regulæ generalissimæ ad conservationem corporis directe tendentes explicitur, v. c. ex Scientia Medica istæ, quas diæteticas appellant &c. regulis istis speciærioribus, de corpore morboſo facto curando, pariter ac illarum diæticarum explicatione uberiori,

ri, Medicis relictis. Ex Scientia vero tum Medica tum Oeconomica eae, quae de loco habitacionis salubri, domo idonea, vestimentis idoneis &c. agunt, quas tamen quod ad generales earum affectiones in morum Philosophia explicandas, specia-
liora vero momenta Medicis, Oeconomicis &c. relinquenda esse, volumus. Quibus explicatis ex Psychologia ostendendus est nexus intimus, qui est inter corpus & animam, unde sequitur, ut non pa-
rum effectum habeat status corporis in statum animi,
animum videlicet in corpore morbo bene non valere, & contra. — Deinde docendum est, animi fa-
cultates colendas esse, primo ad majorem regularum hucusque propositarum intelligentiam compa-
randam, & ad ea officia intelligenda, quae de ce-
tero ad veram parandam felicitatem requiruntur,
& deinde ad desideria animi ad id quod bonum est,
& quod maxime felicitati nostrae conductit, flecten-
da, quodque posterius præcipuum Philosophiae Morali-
cis caput constitutat. — Ex principio socialitatis
officia nostra in alios explicanda & demonstran-
da sunt; atque nexus ille utilissimus qui est inter
officia in nosmet ipsos & alios efficaciter ostendendus. — Denique ex Theologia Naturali ea enodanda,
quae ad ducendos homines ad officia in Summum Numen observanda sufficiunt, & quae maxime commovent homines ad observationem officiorum triplicis generis ob voluntatem Dei Au-
toris

ctoris Naturæ & Legis Naturalis, ipsa considerata
Natura, patefactam. — Sic ostensis quales homines
natura duce sunt vel esse debent, & explicatis quo-
tidianam docere experientiam, homines saepe non ob-
servare ea præcepta, quæ dicitat Lex Naturæ, nec
metuere poenæ, quæ a Summo Legislatore cum una-
quaque actione conjunctæ sunt, quoniam poenæ istæ
post longius interdum temporis spatium actionem con-
sequuntur; Morum Doctoris officium postulare puta-
mus, ut demonstret homines in Civitatibus vitam
degerè necesse habere, ut sic ab irruptionibus hostium
securiores vivant, atque hoc in statu illis pernecessa-
rium esse, eas observare leges, quæ ob felicitatem ci-
vium communem & cuiusvis ejus membra singularem
latæ sunt, vel a Superiori, cui summam detulerunt
potestatem, vel de quibus ferendis ipsi convenerunt.
In hoc capite officia tum Imperantium in subditos,
tum subditorum in Imperantes, tum etiam subditorum
in se invicem generatim explicanda sunt. Quocirca
demonstranda est necessitas poenarum civilium, Legis
transgressoribus imminentium, atque actiones citius
sæpiissime concomitantium, quam poenæ quæ natura-
les dicuntur, quæ raro actiones mox consequuntur,
quæque adeo ob longiorem suam moram tantam vim
ad voluntatem hominum flectendam non habent, quam
habent poenæ civiles, quippe propiores. Specialis
Imperii humani ratio & speciales in unaquaque Ci-
vitate vigentes Leges Politicorum & Juris Civilis

Consultorum interpretationi relinquendæ sunt. — Atque sic sine longiori ratiocinio objectum Philosophiæ Moralis patere existimamus a).

§. III.

- a) Ad eos magis convincendos, qui forsan ipcongruum esse putant hæc omnia quæ attulimus ex Theologia Naturali, Politica &c. in Philosophia Morali explicanda esse, pauca addere licet. — Rationem ipsius rei postulare, ut, si cum fructu officia nostra in Jure Naturali inculcata proponentur atque explicabuntur, non sufficiat ea nude præscribere, verum etiam fundatum, quo nituntur, demonstrandum, atque eorum cum natura nostra convenientiam explicandam esse, nemo negare potest. Si itaque quis vellet temperantiam in virtu observandam esse, inculcare, & diceret: *Temperantium in virtu observes*, inutilis fere eslet hoc monitum. Ut vero usum præstet, demonstrandum est, quæ utilitas ex vita temperata ad nos redundabit, & quæ consequentia sunt vitæ intemperatæ. Ut autem hoc effici queat, necesse est, ut fundamenta ex Scientia Medica petenda sint. Hæc enim ostendit effectus tum temperantiæ tum intemperantiæ. — Valde debilem effectum habet Lex de cultu Deo præstanto hac ratione proposita: *Deum cole*. Antequam enim ratio hujus Legis reddi possit, requiritur, ut Deum Auctorem nostri & totius mundi esse, fontem omnis bonitatis &c. nosque ideo a Deo dependere &c. efficaciter proponatur. Hæc vero ex Theologia Naturali patescunt. Ergo. Idem valet de Scientia Politica &c. — In sequentibus explicatius tradituri sumus, quænam ex aliis Scientiis Philosophia Moralis mutuetur.

§. III.

Fuerunt qui de utilitate Disciplinæ nostræ non tantum dubitarunt, verum etiam illius usum negarunt, & argumenta ad id demonstrandum attulerunt *b*). Et quamvis neminem amplius hoc expresse contendere & argumentis demonstrandum in se suscipere putemus, attamen, cum multi Scientiam hanc turpiter negligant; de utilitate, ne dicam de necessitate, ejus convicti non esse videntur. Hinc non inconveniens esse putamus de utilitate & necessitate laudatæ Scientiæ paucissima monere. Uſus autem hujus maxime vulgaris est. Præterquam quod hic ex iis quæ in §. præced. allata sunt patet, idem ex sequentibus apparebit. — Omnes homines agunt, & hæc Scientia docet, qua ratione agendum sit, ut nobis, ipsis non noceamus nec alios lædamus, vel Summum Numen offendamus. Sed non tantum ejus uſus est tam vulgaris, & omnes homines in universum respiciens, verum etiam utilis & necessarius est ille specialiter illis, quorum in Statu Civili est judicium ferre de actionibus aliorum, & illis, qui in docendi munere constituti sunt. Quale autem judicium ferret judex de actione aliqua, nisi primum sciat, utrum actio bona sit, an mala, quisnam auctor censendus sit actionis, & quæ pœnae aut præmia actionem consequi debeant? Quæ res

B 3

quam

b) Vide HEINECCIÆ Prælect. in Libr. II. PUFENDORFFII proleg. pag. 9.

quam faciles primo intuitu esse videntur, tamen non raro ignorantiam Judicis produnt, in primis cum quæstio est de casu, quem Lex Civilis reticet. Applicacionem Legis ad actiones admodum perverse interdum fieri notum est, ea ex caussa, quod judex non intelligit rationes, quibus fundata est ipsa Lex, & quæ in Jure Naturæ suum habet fundamentum. Vel quomodo alii, quibus docendi munus commissum est, auditores & discentes ad virtutem sectandam flectent, cum ipsis nesciunt, & quid virtus sit, & consequenter modum, quo homines ad virtutem ducantur, ignorant? — Nolumus autem hac occasione utilitatem Philosophiæ Moralis ulterius demonstrare, vel argumenta nullius momenti, quæ contra eandem quidam adduxerunt, refutare c). Optamus potius, velint isti, qui Scientiam utilissimam cum ceteris neglexere, hæc perpendere & ansam arripere cogitandi, an huic Scientiæ studere operam mereatur!

§. IV.

De existentia Juris Naturæ etiam disputatum est d). Sed cum de existentia ejus amplius nemo forte dubitet, nec de ea re saltim h. l. quæstionem movere volumus. Utilius autem esse putamus per vestigare, qua ratione ad cognitionem Juris Naturæ pervenire.

c) Vide HEINECII l. c.

d) Vide HEINECII Praelect. in PUFEND. pag. I. sqq.

15

venerunt mortales. Sic enim facilius ad hujus cognitionem perduci possunt homines. Accurata hujus rei disquisitio admodum difficilis est. Quantum autem ad scopum sufficiat, juvabit Historia generis humani & consideratio ipsius naturae humanae. Primam vero in primis historiam generis nostri admodum insufficientem habemus. Sed quoniam haec ipsa ansam praebet concludendi, primos homines immedia te ab eorum Creatore institutos esse de rebus quae illis maximae fuere necessitatis, quae res nec rationi improbabilis videtur, cum conditionem hominum sibi relictorum perpendimus, qui admodum longam habent viam ad scientiam suo marte perveniendi, difficile est intellectu, utrum prima ista elementa Scientiae ex suo ingenio habuerint homines, quos revelatione Divina destitutos esse novimus, an vero per traditionem aliqua ceperint, unde ansam ea disputandi, quae in scriptis illorum nobis relicta sunt, sumfere: quae res eo difficilior nobis videtur, cum intelligimus, Scientiam Moralem per CHRISTUM tanta cepisse incrementa, quanta sine illo cepisse plurimis incredibile visum est. Sed haec relinquimus. Et quoniam sine omni dubio ratio humana, quae ad philosophiam moralem pertinent, & intelligere, eaque ex principiis a se ipsa inventis demonstrare valet, quod vel inde patet, quod haec Scientia fundata est in ipsa natura humana, & revelatio gentibus admodum paucis contigit, illaeque nihilotamen minus normam babere debent a ctio-

ctionum suarum &c. jamjam disciplinam nostram me-
rito Philosophicam censemus, & homines solius ope rationis,
etsi post longum temporis spatium, per multas
difficultates & per multos errores ad cognitionem hujus
Disciplinæ pervenisse vel saltem pervenire potuisse &
posse, contendimus. Non autem hac in Scientia, uti
nec in ceteris fieri potest, ut accurate indicare possint
Philosophi, qua methodo & qua serie idearum, quæ
jam norunt, pertingere valuerunt mortales. Omni
tamen certitudine statuere possumus generalem ratio-
nem, qua tum ideas in moralibus tum in omnibus a-
liis rebus sibi comparare & potuerunt & debuerunt.
Cumque jam homines nobis concipimus sine omni
doctrina sibi relictos, & considerata humana natura,
intelligimus homines sine ideis nasci, sine appetitu, si-
ne affectibus &c. sed solo instinctu omnibus creaturis
animantibus communi, ut vitam conservare studeant,
& de cetero potentia ea inveniendi media, quibus vi-
ta sustentari queat, eosque sensim & per longas vias
vagandos esse ad felicitatem durabilem sibi compa-
randam, per sensationes per sensus externos a rebus
extra hominem primum excitatas &c. facile conclu-
dimus, mortales hanc viam, nisi supponatur immedia-
ta institutio divina, sequi coactos fuisse.—Cum itaque
ad scientiam homines per solam experientiam perva-
reunt, necesse est, ut omnis nostra Scientia experien-
tia, non quidem singuli hominis, sed universaliori in-
ter res comparatione facta, fundata sit, unde clarum
esse